

etiam adoratus: ideoque convenienter institutum est Theophoriæ festum. 6. Retinenda est antiquissima consuetudo Eucharistiam in sacrario asservandi et deportandi ad ægros. 7. Ex Apostoli præcepto, probandi seipsum, consuetudine Ecclesiastica declarato, nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, ad Eucharistiam absque præmissa sacramentali confessione accedat: quod et de Sacerdotibus intelligitur, si copia Confessarii adsit: si autem is, necessitate urgente, sine confessione prævia celebrarit, quamprimum confiteatur. 8. Sacramentum hoc tripliciter sumitur: sacramentaliter tantum, a peccatoribus; spiritualiter tantum, ab habentibus votum vel desiderantibus; sacramentaliter simul et spiritualiter, a suscipientibus reipsa et cum gratiæ augmento Sacramentum: Laici communionem accipiant a Sacerdotibus; celebrantes ipsi sumant; Fideles omnes frequenter suscipiant.

Subnectuntur *CANONES* anathematizantes eum qui dixerit: 1. In Eucharistiæ Sacramento non contineri vere, realiter, et substantialiter, corpus et sanguinem cum anima et divinitate Christi, et hinc totum Christum; sed tantum esse in eo ut signo, vel figura, aut virtute: 2. Remanere substantiam panis et vini cum corpore et sanguine Christi, nec fieri transsubstantiationem, manentibus solum speciebus panis et vini: 3. In Eucharistia non contineri totum Christum sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta: 4. In ipso actuali tantum usu Eucharistiæ esse præsentem Christum, non autem ante et post usum: 5. Præcipuum vel unicum Eucharistiæ fructum esse remissionem peccatorum: 6. Christum hic non esse adorandum cultu latriæ, etiam externo; nec festivitate peculiari venerandum; nec in processionibus solemniter circumgestandum; nec publice adorationi proponendum: ejus adoratores esse idololatrias: 7. Eucharistiam post consecrationem statim esse distribuendam; non in sacrario asservari, nec ad ægros deferri licere: 8. Christum in Eucharistia spiritualiter tantum, non etiam sacramentaliter ac realiter manducari: 9. Ex Ecclesiæ præcepto non teneri Fideles, ætatem discretionis adeptos, ad communionem paschalem annuam: 10. Non licere Sacerdoti celebranti, seipsum communicare: 11. Solam Fidem esse præparationem sufficientem ad Eucharistiæ sumptionem: habita etiam Confessarii copia, præmittendam non esse Confessionem sacramentalem, modo quis contritum se existimet.

Præter hæc sancitum est decretum de reformatione octo capita complexum: adjecta prorogatio definitionis de aliis circa Eucharistiam articulis: data cautio et Fides publica Protestantibus ad Concilium venturis.

Sess. 14^a. Decreta duo hic edita doctrinam et Canones continent de Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis Sacramentis: tertium de Reformatione additum tredecim capitibus constat.

De *Pœnitentiæ Sacramento* hæc docentur: 1. Pœnitentiæ peccatoribus quovis tempore fuit necessaria: ad rationem Sacramenti pro baptizatis elevata est a Christo, dum post resurrectionem insufflavit in discipulos dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata etc.* quod factum sicut Novatianorum errorem refellit, sic verba de potestate prædicandi verbum Dei et annuntiandi Evangelium explicari non sinit. 2. Differt Pœnitentiæ a Baptismo quoad materiam, formam, ministrum, effectum et condiciones: lapsus post Baptismum est necessaria, ut nondum regeneratis Baptismus. 3. Forma, in

qua præcipue sita vis Sacramenti, posita est in illis ministri verbis: *Ego te absolvo etc.*: quibus ex more preces additæ, non tamen ad essentiam spectant, nec sunt necessariae. Quasi materia sunt actus pœnitentis, scil. contritio, confessio et satisfactio: qui quatenus ad integritatem Sacramenti et plenam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, partes pœnitentiæ dicuntur. Effectus, quantum ad vim, est reconciliatio cum Deo; quam interdum conscientiæ pax, serenitas et consolatio sequuntur. Incussi conscientiæ terrores et Fides, nec pars nec effectus sunt hujus Sacramenti. 4. Contritio est animi dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: fuit omni tempore necessaria ad veniam; in baptizato lapsio ad eam præparat, conjuncta cum Fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua requisita: adeoque non est sola cessatio a peccato, et propositum ac inchoatio vitæ novæ, sed veteris odium et detestatio. Etsi autem ea aliquando charitate perficiatur, adeo ut peccatorem ante justificet quam Sacramentum actu suscipiat; hoc tamen sine Sacramenti voto, contritioni perfectæ inclusio, non fit. Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, quia vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, sed etiam donum Dei est, et impulsus Spiritus sancti, necdum quidem inhabitantis, sed tantum moventis: et quamvis ea sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit. Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. 5. Confessio a Christo instituta, post Baptismum lapsis jure divino est necessaria; quia ille Sacerdotes sui vicarios ut judices constituit, ad quos omnia mortalia peccata deferantur: judicium enim hoc incognita causa exercere nequeunt, et ne æquitatem quidem in pœnis injungendis servare, si in genere duntaxat, et non in specie, peccata declarentur. Hinc omnia, licet occultissima, peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientia habetur, a pœnitentibus recenseri debent: venialia autem, licet recte et utiliter exponantur, taceri tamen in confessione possunt, et aliis remediis expiari. Circumstantiæ etiam, quæ speciem peccati mutant, sunt explicandæ; quia sine his peccata a pœnitentibus non integre exponuntur, nec judicibus innotescunt; hi autem nec de gravitate criminum recte censere, nec pœnam debitam imponere possunt. Confessio sic fieri præcepta non est carnificina conscientiæ; quia pœnitens tenetur tantum confiteri ea peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse post examen diligens meminerit: quæ vero diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. Publica peccatorum confessio non est necessaria, sed satis est secreta; quæ initium non habuit primum a Concilio Lateranensi, ubi jus divinum a Christo jam institutum, singulis annis implendum, duntaxat mandabatur. 6. Minister hujus Sacramenti non est Fidelis quilibet, sed Episcopus et Sacerdos, qui etsi malus sit, conficere tamen hoc Sacramentum cum effectu potest. Is vero non tantum vel annuntiat Evangelium, vel declarat peccata esse remissa, sed ut iudex actu judiciali sententiam absolutionis pronuntiat: qui tamen animum serio agendi et absolvendi habere debet. 7. Cum omnis iudicii ratio exigat sententiam ferri in subditum, nullius momenti est absolutio, quam Sacerdos pro-

fert in eum, in quem ordinariam aut delegatam jurisdictionem non habet. Ob disciplinae utilitatem, etiam coram Deo locum habet casuum reservatio, qua peccata quaedam atrociora et graviora, non quidem quivis, sed summi tantum Sacerdotes suo iudicio absolvenda reservant: quæ potestas non Papæ tantum, sed Episcopis omnibus, in sua cuiusvis diœcesi, competit, in ædificationem tamen, non in destructionem. In articulo autem mortis nulla est reservatio, sed quilibet Sacerdos quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere potest. 8. Cum non remittatur cum culpa omnis etiam pœna, satisfactio autem ad hanc tollendam et alios effectus magnopere faciat, Sacerdos, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et facultate personarum, salutare et convenientes satisfactiones pœnitentibus injungere debet: Satisfactio autem sit, non tantum ad vitæ novæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed et ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem; quæ ratio ex ligandi officio usurpata, nec Sacramentum hoc facit forum iræ aut pœnarum, nec vim meriti et satisfactionis Christi obscurat. 9. Neque tamen solum pœnis aut sponte susceptis, aut a Sacerdote impositis, sed et temporalibus flagellis a Deo inflictis, a nobis patienter toleratis, apud Deum per Christum satisfacere possumus.

CANONES cognati anathemate feriunt eum qui dixerit: 1. Pœnitentiam non esse vere ac proprie sacramentum reconciliatonis, a Christo institutum; 2. Eam non esse distinctum a baptismo sacramentum, nec recte appellari secundam post naufragium tabulam: 3. Verba Christi: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis* etc. non esse intelligenda de potestate in pœnitentiæ sacramento, sed de auctoritate prædicandi evangelium: 4. Ad integram et perfectam peccatorum remissionem non requiri in pœnitente tres actus memoratos, quasi materiam sacramenti, et tres pœnitentiæ partes dictos: Aut duas tantum esse partes, nempe terrores incussos conscientiæ, et fidem qua quis credit per Christum remissa sibi peccata: 5. Attritionem non esse verum et utilem dolorem, nec parare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; esse dolorem coactum, non liberum ac voluntarium: 6. Confessionem vel institutam vel necessariam jure divino non esse: aut modum secrete confitendi esse alienum ab institutione et mandato Christi, ac inventum humanum: 7. Non esse necessarium jure divino, confiteri omnia et singula, quorum memoria habetur, peccata mortalia, etiam occulta et duobus ultimis Decalogi præceptis contraria, et circumstantias peccati speciem mutantem; aut non licere confiteri peccata venialia: 8. Confessionem esse impossibilem et traditionem humanam; aut non esse obligationem semel in anno confitendi: 9. Absolutionem non esse actum judiciale, sed nudum ministerium declarandi peccata esse remissa, modo confitens tantum credat se absolutum, aut sacerdos tantum joco absolvat: aut non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: 10. Sacerdotem, qui est in peccato mortali, non habere potestatem solvendi et ligandi; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis: sed omnes fideles exercere posse illud dictum: *Quorum remisistis* etc. *Quæcumque ligaveritis* etc. 11. Episcopos non habere jus reservandi sibi peccata, nisi quoad externam politiam: 12. Semper totam pœnam simul cum culpa remitti a Deo. Satisfactionem non esse aliam, quam fidem de satisfactione Christi: 13. Quoad pœnam temporalem non satisfieri per merita Christi, vel

pœnis a Deo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote impositis, vel sponte susceptis pœnalibus, vel aliis pietatis operibus; sed optimam pœnitentiam esse tantum vitam novam: 14. Satisfactiones ejusmodi non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, obscurantes doctrinam de gratia, verum Dei cultum et beneficium mortis Christi: 15. Claves Ecclesiæ tantum esse datas ad solvendum, non ad ligandum; et hinc impositionem pœnæ esse contra finem clavium et Christi institutionem: item fictionem esse quod virtute clavium solvenda pœna temporalis maneat, æterna sublata.

De *Extrema unctione* sequens est doctrina: 1. Sacramentum hoc a Christo esse institutum Marci c. 6. insinuatur; per Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis* etc. commendatur et promulgatur: materia illius est oleum ab Episcopo benedictum; forma, verba illa: *Per istam sanctam unctionem* etc. 2. Effectus hujus sacramenti est gratia ad expiandum peccatum et hujus reliquias abstergendas, atque ad alleviandum et confirmandum ægrum, ut morbum levius ferat, tentationibus dæmonis facilius resistat et sanitatem corporis, si animæ saluti expedit, interdum consequatur. 3. Minister hujus sacramenti est Episcopus vel sacerdos: tempus administrandi, quando infirmus tam periculose decumbit, ut in exitu vitæ constitutus videatur; dumque convalescens in aliud simile discrimen pervenerit.

Canones *de eadem* subjuncti anathema dicunt illi qui dixerit: 1. Extremam unctionem non esse sacramentum a Christo institutum, a Jacobo promulgatum, sed ritum acceptum a Patribus aut figmentum humanum: 2. Illam non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmum; sed jam cessasse, utpote gratiam curationum: 3. Hunc ritum et usum repugnare Jacobo; ideoque mutandum, et absque peccato contemni posse: 4. Presbyteros Ecclesiæ, quorum Jacobus meminit, non esse sacerdotes, sed seniores in quavis communitate; ideoque ministrum hujus unctionis non solum sacerdotem.

Sess. 15^a. Fit sessionis prorogatio: Protestantibus datur salvus conductus formulæ uberioris. 16^a. Ingruente Stationi Synodali Saxonico bello, decernitur suspensio Concilii ad biennium, ea lege, ut pace prius reddita etiam ante hoc tempus Concilium vigeret: sed durantibus diutius impedimentis, cessatio decennium explevit. 17^a. Collectis rursus Patribus post convocationem a Pio IV. factam, editur decretum de continuando Concilio, et tractanda Legatis proponentibus materia Fidei, morum ac disciplinae; quibusdam frustra novitatem in propositione a Legatis facienda causantibus. 18^a. Sancitur decretum alterum de librorum delectu seu indice librorum prohibitorum a deputatis conficiendo; alterum de Fide publica Protestantibus etiam per Congregationem generalem dari concessa. 19^a. Ad postulationem Legatorum Gallicorum fit Sessionis prorogatio. His appulsis, de voce *continuationis* oritur controversia, Italis et Hispanis pro ea stantibus, Gallis et Germanis Concilium de novo inchoari volentibus: abstrahendum a voce censet Pontifex, statuens nihilominus, inde tractationis initium faciendum, ubi desiderat Conciliare negotium. 20^a. Ob varias difficultates, tum ex litibus Oratorum de prædria, tum ex sententiarum diversitate de communione sub utraque specie Protestantibus concedenda ortas, iteratur Sessionis prorogatio.

Sess. 21^a. Declaratur doctrina *de Communione sub utraque specie et partvolorum*, capitibus quatuor totidemque Canonibus: de reformatione autem quindecim capitibus agitur.

Declaratio hujus est tenoris : 1. Qui Eucharistiæ Sacramentum non conficiunt, nullo præcepto divino urgentur ad illud sub utraque specie sumendum : nec dubitari potest quin sumptio sub una specie sufficiat ad salutem : 2. Fuit perpetuo in Ecclesia potestas, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati et Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Hinc licet sub Ecclesiæ initium non infrequens fuerit usus utriusque speciei, progressu tamen temporis, mutata jam illa consuetudine, gravibus et justis ex causis consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : hanc reprobare aut mutare sine Ecclesiæ auctoritate non liceat. 3. Quamvis Christus hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit et tradiderit Apostolis ; est tamen fatendum, totum ac integrum Christum sub altera tantum specie, verumque Sacramentum sumi ; ac proin nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. 4. Parvuli, usu rationis carentes, nulla obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem : non tamen damnanda est antiquitas, si eum morem aliquando alicubi servavit.

Canonum anathema ferit eum, qui dixerit : 1. Ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos fideles utramque speciem sumere debere : 2. Ecclesiam non justis de causis panis tantum specie communicare Laicos et Sacerdotes Eucharistiæ non conficientes : aut in eo errasse : 3. Totum et integrum Christum sub una panis specie non sumi ; quia non sumitur secundum Christi constitutionem sub utraque : 4. Parvulis, ante discretionis annos, necessariam esse communionem. Porro an usus calicis aliquando Laicis sit permittendus, et quales causæ id concedendi sint justæ, Concilium in aliud tempus reservat decidendum.

Sess. 22^a. De Missæ sacrificio editur, per doctrinæ capita, Canones consuetos, et præscriptas reverentiæ leges : fit decretum de reformatione per undecim capita diffusum : resumpta quæstione de calicis usu aliquibus Provinciis petentibus permittendo, negotium ad summum Pontificem refertur.

Doctrina de Sacrificio Missæ : 1. Christus in cena Apostolis, quos tunc Sacerdotes constituit, dedit potestatem et præceptum offerendi corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini ; id tanquam jure Sacrificium visibile relinquens Ecclesiæ suæ, per quod virtus sacrificii in cruce peracti nobis applicatur in remissionem peccatorum. 2. Quia in hoc Sacrificio Christus incremente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit ; vere est propitiatorium pro vivis et defunctis. 3. Memoria Sanctorum fit in Sacrificio ; ipsum tamen soli Deo offertur, non vero Sanctis, quorum duntaxat patrocinia imploramus. 4. Canon Missæ, cum constet ipsis Domini verbis, Apostolorum traditionibus et piis sanctorum Pontificum institutionibus, ab omni errore purus, sanctitatem et pietatem spirat. 5. Per ritus mutata voce dicendorum, cæremônias, lumina, vestes et similia, ex Apostolica antiquitate accepta, mens ad altissima mysteria contemplanda excitatur. 6. Opandum ut Missæ præsentibus sacramentaliter communicarent : in qua tamen solus Sacerdos si communicat, ea adhuc est et commendanda et publica ; quia populus spiritualiter communicat, Sacerdos est publicus Ecclesiæ minister et Missa pro omnibus fidelibus celebratur. 7. Vinum aqua miscendum ; quia

Christus ita fecisse creditur ; sanguinem et aquam e Christi latere exivisse hac mixtione recolitur ; populi per aquam significati cum Christo unio representatur. 8. Missa non est dicenda lingua vulgari, sed more ab Ecclesia Romana usitato : ejus tamen mysteria populo frequenter sunt explicanda.

CANONES de eodem anathema pronunciant in eum, qui dixerit : 1. In Missa verum et proprium Sacrificium non offerri ; aut offerri non esse aliud quam manducandum dari ; 2. Verbis illis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum Apostolos non instituisse Sacerdotes ; aut non ordinasse ut ipsi et Sacerdotes alii offerrent suum corpus et sanguinem : 3. Missæ Sacrificium non esse propitiatorium, sed laudis tantum et gratiarum actionis, vel nudam commemorationem, vel prodesse soli sumenti ; nec pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, aut necessitatibus aliis offerri debere : 4. Blasphemiam irrogari, vel derogari Sacrificio crucis per Missæ Sacrificium : 5. Imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, ad impetrandam eorum intercessionem, juxta Ecclesiæ mentem : 6. Canonem Missæ continere errores et esse abrogandum : 7. Cæremônias, vestes et externa signa in Missis usitata, potius irritabula impietatis esse, quam officia pietatis : 8. Missas, ubi Sacerdos solus communicat, illicitas esse et abrogandas : 9. Ritum, quo submissa voce pars canonis, et consecrationis verba proferuntur, esse damnandum ; aut lingua tantum vulgari Missam dicendam ; aut aquam non miscendam.

LEGES pro Missæ reverentia : 1. Absint cujusvis generis mercedum pacificationes pro celebratione ; nec non elemosynarum exactiones potius quam postulationes ; omnis denique simoniaca labes vel turpis quæstus. 2. Vagi et ignoti ne sinantur celebrare. 3. Notorie criminosi arceantur a celebratione et auditione Missæ. 4. Non celebretur a quopiam in privatis domibus, aut extra Ecclesiam ac Oratoria, divino cultui tantum dicata. 5. Arceatur ab Ecclesiis musica lasciva, actiones seculares, vana colloquia, deambulationes, strepitus et clamores. 6. Caveatur omnis superstitio in numero candelarum certo aut similibus ; et ne aliis horis, ritibus, cæremoniis aut precibus, quam debitis, celebretur. 7. Doceatur populus de qualitate et causa fructus Sacrificii. 8. Moneatur idem, ut frequenter ad suas Parochias, diebus saltem Dominicis et festis majoribus accedat. Quæ omnia Ordinariis proponuntur ita ut ad ea servanda populum etiam pœnis Ecclesiasticis compellant.

Sess. 23^a. Diu hæc dilata tum ob controversiam de reformatione Romanæ curiæ, quam Imperator et Rex Galliæ a Concilio fieri urgebant, Pontifex autem partim decreto a se edito jam factam, partim adhuc faciendam sibi sumebat, tum ob concertationem de prærogativa Hispanum inter et Gallum Oratorem ortam ; tandem post decem ab ultima Sessione menses habita est, Simonetæ adjunctis Hosio, Morono et Navagero, qui in locum aliorum Præsidium jam defunctorum successerant. Exponitur duplici more consueto dogma de Sacramento Ordinis ; decernitur de reformatione octodecim capitibus.

Dogma de Sacramento Ordinis : 1. Christus Apostolis, et eorum in Sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi, offerendi et ministrandi visibile Sacrificium, nec non dimittendi et retinendi peccata. 2. Ad venerationem tanti Sacrificii, ab ipso Ecclesiæ initio fuerunt in usu septem Ordines ; tres majores seu sacri, et quatuor minores. 3. Cum ordinatio sacra

conferat gratiam, ordo est verum ac proprium Sacramentum. 4. Non omnes Christiani sunt Sacerdotes, sed ii soli qui ab Episcopis legitime sunt ordinati: semel ordinati nunquam fieri possunt Laici. Episcopi ad Hierarchiam Ecclesiasticam præcipue pertinent; sunt Presbyteris superiores; præter confirmationis collationem et alias functiones sibi solis proprias, ministros Ecclesie ordinant, etiam non requisito nec necessario Laicorum suffragio aut consensu: sine Episcopi ordinatione, ad secularis potestatis vocationem vel institutionem exercentes ministeria sacra, non sunt ministri Ecclesie.

CANONES adnexi execrantur illum qui dixerit: 1. In N. T. non esse sacerdotium visibile, aut potestatem consecrandi et offerendi, vel remittendi et retinendi peccata, sed officium et nudum ministerium prædicandi Evangelium; quique non prædicant, non esse sacerdotes: 2. Præter sacerdotium nullos esse Ordines alios, per quos velut per gradus ad illud ascendatur: 3. Ordinem non esse vere ac proprie Sacramentum; sed figmentum humanum, aut ritum tantum eligendi ministros Verbi Dei: 4. Per eum non dari Spiritum sanctum, nec imprimi characterem; vel Sacerdotem semel factum, rursus fieri Laicum posse: 5. Sacram Unctionem in ordinatione usitatam non requiri, sed contemnendam esse ac perniciosam; similiter et alias Ordinis caeremonias: 6. In Ecclesia non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris: 7. Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam ipsis esse cum Presbyteris communem; vel ordines, absque populi aut potestatis secularis vocatione vel consensu collatos, esse irritos; vel non ordinatos, nec missos ab Ecclesiastica potestate, veros esse verbi divini et Sacramentorum ministros: 8. Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos.

Sess. 24^a. Eduntur de Sacramento Matrimonii Canones et reformatio: additur aliud ad alias materias pertinens decretum de reformatione, viginti capita complexum.

CANONES præit doctrina, quæ matrimonii perpetuum et indissolubilem nexum asserit; hoc vinculo duos duntaxat copulari et conjungi enuntiat; gratiam, quæ naturalem amorem perficiat, indissolubilem unitatem confirmet, conjuges sanctificet, matrimonio meritis Christi comparatam affirmat; indeque matrimonium Sacramentis annumerandum infert, et Traditione confirmat.

Ipsi autem *CANONES* pro more reprobant eum qui dixerit: 1. Matrimonium non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo institutum nec gratiam conferre: 2. Licere Christianis plures simul habere uxores, nec hoc lege divina prohibitum: 3. Consanguinitatis et affinitatis tantum gradus in Levitico expressos, matrimonium impedire contrahendum, dirimere contractum; nec posse Ecclesiam dispensare in eorum nonnullis, nec constituere, ut plures impediant et dirimant: 4. Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: 5. Propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut conjugis absentiam, dissolvi posse matrimonii vinculum: 6. Matrimonium ratum, non consummatum, per alterius conjugum solemnem Religionis professionem non dirimi: 7. Errare Ecclesiam, dum docuit et docet non dissolvi vinculum matrimonii per alterius conjugum adulterium; nec, quamdiu

alter conjugum vivit, posse etiam innocentem aliud matrimonium inire; moerharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit; et eam quæ dimisso adultero nupsit alii: 8. Ecclesiam errare, dum decernit, ob multas causas fieri posse separationem conjugum quoad thorum seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus: 9. Clericos in sacris ordinibus constitutos, et Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere: contractumque valere, non obstante lege Ecclesiastica vel voto; omnesque posse contrahere matrimonium, qui castitatis, licet eam voverint, donum se habere non sentiunt: 10. Statum conjugalem præponendum virginali vel cœlibi; huncque illo non esse meliorem: 11. Prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis temporibus esse superstitionem; benedictiones earum aliasque caeremonias Ecclesiasticas damnandas: 12. Causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos.

Reformatio complectitur sequentia. 1. Matrimonia clandestina, etiam sine consensu parentum, valida fuerunt, quandiu ea non irritavit Ecclesia; quæ tamen illa semper prohibuit. Cum vero sola prohibitio non sufficiat ad coercenda scelera, abusus et pericula adulteriorum, fiat posthac a proprio contrahentium Parocho trina denuntiatio, quæ tamen minui vel remitti ex Ordinarii judicio possit. Nullo impedimento opposito, et consensu intellecto, matrimonium celebretur in facie Ecclesie, præsentibus testibus, et Parocho sponso conjungente. Qui aliter quam præsentem Parocho, vel, de hujus aut Ordinarii licentia, alio Sacerdote, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum sint inhabiles, et contractus hujusmodi irritus ac nullus; qui aliter fecerint, poenis insuper ab Ordinario gravibus mulentur. Sponsi ante matrimonium ordinarie in eadem domo non cohabitent. Qui sine Parochi proprii licentia matrimonio jungit sponso, ipso jure suspensus maneat, dum a Parochi proprii Ordinario absolvatur. Habeat Parochus librum quo conjugum et testium nomina, dies et locus matrimonii contracti notentur. Moneantur sponsi ut ante matrimonium confiteantur et communicent. Hoc decretum promulgetur sæpius in Parochiis, præsertim primo anno: post triginta autem dies a promulgatione facta, robor suum habeat. 2. Unus tantum vel una, vel ad summum unus et una munus patrini agant: inter hos et baptizatum baptizatique parentes, nec non inter baptizantem et baptizatum baptizatique parentes tantum cognatio spiritualis contrahitur: unde horum nomina inscribantur libro baptismali. Si alii præter designatos infantem levando tangant, cum his cognatio non oritur. Similis limitatio est cognationis ex Confirmatione. 3. Impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus quacumque ratione invalidis non oritur: si valida fuerint, primum gradum non excedat. 4. Impedimentum affinitatis, ex fornicatione ortum ad primum, tantum et secundum gradum restringitur. 5. Qui scienter intra gradus prohibitos contraxit, separetur et spe dispensationis careat: idem fiat, si neglectis solemnitatibus ignorans cum impedimento contraxit si adhibitis solemnitatibus, ignoratum impedimentum postea cognoscatur; facilius et gratis cum eo dispensari potest. In contrahendis matrimoniis vel nulla dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis detur: in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et ob causam publicam. 6. Inter raptorem et raptam, dum hæc est in raptoris potestate, non stat matrimonium. Raptores et adjuutores sint ipso

jure excommunicati et perpetuo infames; si Clerici fuerint, de proprio gradu decident. Si rapta separata, et in loco tuto ac libero posita, consentiat libere, raptor eam ducere possit: tenetur tamen eam dotare, seu duxerit, seu non. 7. Vagabundi non facile admittantur ad matrimonium: Magistratus seculares eos coerceant: Parochi non adsint eorum matrimoniis, nisi facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eo habuerint licentiam. 8. Concubinari post trinam Ordinarii monitionem excommunicentur: ultra annum contumaces puniantur gravius. Concubinæ post trinam monitionem puniantur severe, et extra diocesin ejciantur, invocato, si opus, brachio seculari; aliis pœnis in suo robore permanentibus. 9. Domini ac Magistratus directe vel indirecte cogentes minis vel pœnis subditos ad certa matrimonia cum certis contrahenda, ipso facto sint excommunicati. 10. Ab adventu usque ad Epiphaniam, et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, prohibitiones solemnium nuptiarum observentur.

Sess. 23^a. Sanciantur tria decreta dogmatica: 1^{um} de Purgatorio; 2^{um} de Invocatione, Veneratione ac Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus; 3^{um} de Indulgentiis; cui additio facta de delectu ciborum, jejuniis et diebus festis: posterioribus interponebantur decreta, alterum de Regularibus, de Reformatione alterum: negotium olim commissum de Indice librorum noxiorum, cum perfici et distincte de omnibus judicari non potuerit, jubetur quodcumque hac in re a Deputatis factum exhiberi summo Pontifici, ut ejus judicio et auctoritate opus terminetur et evulgetur: idem mandatur Deputatis ad Catechismum, Missale et Breviarium: demum post factam probatamque finiendæ Synodi et confirmationis petendæ rogationem, succedit acclamatio et subscriptio Patrum, quos inter Procuratores absentium soli subscripserunt non definiendo.

Decernitur de purgatorio: esse purgatorium; animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum sacrificio missæ juvari; sanam de purgatorio doctrinam credendam, tenendam, et populo prædicandam; omissis tamen difficilioribus et subtilioribus quæstionibus, incertis autem, curiosis, et superstitionem vel quæstum sapientibus tractari prohibitis. De invocatione et veneratione Sanctorum: Sanctos cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum et utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia a Deo impetranda per ejus filium, unicum redemptorem et salvatorem, ad eorum orationes opemque confugere: illos e contra impie sentire, qui negant sanctos esse invocandos, aut pro hominibus orare; qui sanctorum invocationem dicunt esse idololatriam, vel pugnans cum verbo Dei, vel honori Christi adversum, vel stultum. De Reliquiis Sanctorum: Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sacra corpora a fidelibus esse veneranda, per quæ a Deo multa beneficia hominibus præstantur; omnino dammandos esse et damnari eos, qui sanctorum reliquiis venerationem non debent, vel eas inutiliter honorari, et sanctorum memorias opis eorum impetrandæ causa frustra frequentari affirmant. De Imaginibus sacris: Imagines Christi et sanctorum, in templis præsertim, habendas et retinendas; illisque honorem et venerationem impertiendam esse, non quod credatur illis inesse aliqua divinitas aut virtus, vel quod ab ipsis imaginibus aliquid petendum aut in iis fiducia sit figenda, ut gentiles olim idolis tribuebant: sed quia honor

illis exhibitus refertur ad prototypa; ita ut per imagines, quibus venerationis signa exhibemus, Christum adoremus et sanctos veneremur. Insuper per picturas populum erudiri et confirmari in articulis fidei, monerique intuentes acceptorum beneficiorum et exemplorum imitandorum: quibus qui contraria docent, anathemati subjici. Abusus autem, si qui sint, abolendos esse; instruendum populum divinitatem non hinc corpoream quia sensibilibus figuratur; et omnem superstitionem, quæstum et lasciviam tollendam: unde nec proponendam esse insolitam imaginem, nec nova miracula aut reliquias recipiendas, nisi ab Episcopo recognitas et approbatas. In gravioribus quæstionibus a Synodo Provinciali esse cognoscendum; nihil tamen novum et inusitatum decernendum, inconsulto Pontifice. De Indulgentiis: Potestatem eas concedendi a Christo collatam esse Ecclesiæ; earum usum ab antiquissimis temporibus fuisse; eundem, Christianis maxime salutarem et a Conciliis probatum, esse retinendum: damnatis illis qui contraria asserunt; adhibendam tamen in iis concedendis moderationem, ne disciplina enervetur. Ad abusus emendandos, quæstum pravum pro iis consequendis penitus abolendum; alios ex superstitione, ignorantia vel aliunde provenientes, indagandos apud suos ab Episcopis, et a Concilio Provinciali cognitos ad summum Pontificem referendos, ut de illis pro Ecclesia universali statuatur. De delectu ciborum, jejuniis et diebus festis: Commendanda et usurpanda esse, quæ Romana Ecclesia servat et Concilia statuunt; maxime ciborum delectum et jejunia ad carnem mortificandam, dierum festorum celebrationem ad pietatem augendam: admonito populo ad obedientiam, ut remunerationem capiant, ultionem evitent.

III. Argumentum quod in Conciliis aliis præbebant Canones, in præsentibus referunt Decreta de Reformatione. Ordinem in illis non facit doctrinæ methodus, nec materiæ ratio; quin et eadem res aliquoties, auctario tamen quodam accedente, est repetita: unde quam unam habent ex Sessionibus, in quibus promulgata fuerunt, seriem sectabimur; excepto solo decreto quod de Regularibus inscribitur, cum alia careant quacumque inscriptione: quæ enim de observandis in celebratione Missæ ac reformatione matrimonii edita sunt, tanquam affinia rebus dogmaticis supra adjecimus.

In Sessione V. Ordinatur: 1. jam constitutos urgendos, aut recens constituendos esse, in Ecclesiis Episcopalibus quidem et Collegiatis insignibus Theologum ad sacram Scripturam, in Collegiatis minoribus autem Magistrum ad grammaticam gratis docendam; iisdem etiam de congruo stipendio providendum: idem commendatur monasteriis et Regularium conventibus: præterea datur docentibus, qui probati sint, et scholaribus Clericis, gaudere redditibus, in absentia legitima a jure concessis. 2. Debere Episcopos per sese, aut si impediuntur, per alios idoneos prædicare Evangelium; cohibere noxie prædicantes; arcere ignotos: Regularibus, ut prædicent, necessariam esse Superioris licentiam et Ordinarii approbationem: Quæstuariis prædicationem non permittendam.

In Sess. VI. hæc habentur: 1. Obligati sint Prælati ad Residentiam: contra non residentes valeant Canones aliquando promulgati: Absentes a sua Ecclesia sine causa legitima, mulcentur quarta fructuum parte unius anni, Ecclesiæ et pauperibus applicanda. 2. Etiam Inferioribus sit obligatio residentie, ubi eam beneficium requirit: legitima absentie causa ab Ordinario probanda: